



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Innocentio XIII. & Benedicto XIII. editas

**Luxemburgi, 1740**

CCIII. De Martyrio Fr. Felicis a Sigmarinda Ordinis Capuccinorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74724)



re, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinibus, Provinciæ, Custodiarum, & Conventuum præfatorum, aliisque etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Februarii MDCCXXIX. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

CGIII. Mandatur publicari Decretum Declarationis Martyrii Ven. Servi Dei Fr. Fidelis a Sigmaringa Ordinis Capuccinorum.

*Alia hujus Const. ed. 1729. Mart. 12. P. 5. habetur Beatificatio ejusdem.*

Dat. 24. Febr. 1729. An. 5.

BENEDICTUS PAPA XIII.

DECRETUM

*Constantinen., seu Curien. Beatificationis, & Canonizationis, sive Declarationis Martyrii Ven. Servi Dei Fr. Fidelis a Sigmaringa Sacerdotis Professi Ordinis S. Francisci Capuccinorum, Primi ex Missionariis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide ab Hæreticis in odium Fidei interempti.*

Referunt Decretum præd.

§. 1. **H**abita fuit Congregatio Generalis Sacrorum Rituum coram Sanctissimo Domino Nostro Benedicto XIII. die 15. Februarii currentis anni 1729., in qua per Reverendissimum D. Cardinalem Cienfuegos Ponentem, seu Relatorem, ad Instantiam P. Fr. Maximiliani a Wanghena Postulatoris proposita fuit Causa Constantien., seu Curien. Beatificationis, & Canonizationis, sive Declarationis Martyrii Ven. Servi Dei Fr. Fidelis a Sigmaringa Sacerdotis Professi Ordinis S. Francisci Capuccinorum, super Dubio -- *An constet de Martyrio, & Causa Martyrii, necnon de Signis seu Miraculis in casu, de quo agitur* -- In eam autem Sanctitas Sua, auditis tum DD. Consultorum, tum Reverendissimorum Cardinalium Suffragiis, nil tunc decernere, sed Resolutionem differre voluit, ut prius de more tum suis, tum aliorum precibus Cælestis luminis, & auxilii uberiores copiam imploraret. Quibus abunde impletis, infrascripta die Divo Matthiæ Apostolo sacra, postquam in Ecclesia S. Sixti Ordinis Prædicatorum novissime electum Adrentem Episcopum consecrasset, super proposito Dubio sequens Responsum, sive Decretum edidit, videlicet -- *Constare de Martyrio, & Causa Martyrii, necnon de Miraculis, Primo Extinctionis Incendii Arcis Majensfeldæ statim post invocatam*

Primo Decretum constare de Martyrio, necnon de Miraculis.

*Servi Dei opem secuta. Quarto subita Sanationis Dextera Mammilla Sororis Cæciliæ Munsingerin ab Inflammatione, & acutis Doloribus. Quinto Instantaneæ Sanationis Oculi infantis Pauli Francisci Papussin. Et Septimo Repentine Sanationis Gasparis Stiber a diuturno Dorsi dolore cum latione motus, tamquam Miraculis tertii generis.*

§. 2. Præsensque Beatificationis Ven. Servi Dei Fidelis a Sigmaringa per Literas Apostolicas in forma Brevis cum consuetis Indultis in Basilica Lateranensi quodcumque facienda Decretum expediri, & publicari mandavit. Die XXIV. Februarii MDCCXXIX.

Prohibetur, ne Conventus quorumvis Ordinum Mendicantium denuo erigerentur in Hispaniis intra quinque, aut saltem quatuor Leucas a Conventibus jam erectis Ordinis Minorum.

*Hac de re primo actum fuit a Clem. VIII. in Const. ed. 1601. Jul. 11. P. 9. quæ Constitutio confirmata deinde fuit ab aliis Romanis Pontificibus.*

BENEDICTUS PAPA XIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**A**postolici Officii, quo, auctore Domino, fungimur, sollicitudo Nos admonet, ut paternam Christianidelium, qui e fluctibus sæculi in religiosæ vitæ portum confugerunt, ac in humilitatis, & paupertatis Spiritu Altissimi obsequi sese sub suavi arctioris regulæ jugo manciparunt, curam gerentes, felici illorum statui, & tranquillitati quantum Nobis ex alto conceditur, consulere satagemus, sicut rerum, locorum, temporum, & personarum qualitatibus maturæ considerationis trutina perpensis in Domino expedire arbitramur.

§. 1. Dudum siquidem felic. rec. Clemens Papa VIII. prædecessor Noster provide considerans in Provincia Carthagenen. Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de observantia nuncupatorum eam Conventuum prædicti Ordinis multitudinem jam existere, ut si alii ibidem de novo erigerentur, illorum Religiosi Christianidelibus oneri admodum forent, & a puritate Regulæ, quam profitebantur, desciscere cogerentur, quo sibi elemosynas ad vitæ sustentationem pararent, his, aliisque rationibus adductus, de voto Congregationis tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ per quosdam suas in simili forma Brevis die 11. Julii 1601. expeditas Literas perpetuo statuit, & ordinavit, ut deinceps intra quinque aut quatuor leucas a Conventibus Provinciæ, & Ordinis prædictorum jam ædificatis nullus Fratrum ejusdem Ordinis Recollectorum, & Discalceatorum etiam nuncupatorum Conventus exmisset. Et subinde ad tollenda gravia dissidia, quæ inter fratres Ordinum Mendicantium in diversis partibus Hispaniarum super fundatione novorum Conventuum non sine maximo regularis disciplinæ detrimento, ac populorum scandalo in dies oriebatur, rec. mem. Alexander VII. pluresque alii Romani Pontifices prædecessores nostri memoratas Clementis Prædecessoris literas, prævis Decretis dictæ Congregationis Cardinalium etiam in contradictorio Judicio emanatis, ne dum ad alias Ordinis præfati in Regnis Hispaniarum Provincias, sed etiam ad omnes Fratres Ordinum Mendicantium hujusmodi per diversas eorum in pari forma Brevis literas extenderent, & ampliarunt, & alias prout in præfatis Clementis, & Alexandri, aliorumque Prædecessorum literis,

quarum

Postea confectum Decretum de Beatificatione, ac mandatum, ut illud publicaretur.

CCIV.

Dat. 7. Martii 1729. An. 5.

Exordium.

A Clemente VIII. hoc idem, quod hac Constitutione sancitum fuit pro Provincia Carthagenen.

Necnon ab Alex. VII. aliisque Pontificibus Literæ Clementis VIII. ampliatæ fuerunt.